

per illam motionem; hæc autem prædeterminationis voluntatis revera esset quædam absoluta necessitas voluntatis, ut in sequentibus probabo; nam eadem est ratio de hac determinatione facta per hoc instrumentum, vel per quamlibet aliam motionem, ut per se notum videtur. Quocirca, sicut supra Prolegomeno 4 diximus posse Deum necessitare voluntatem, ita nunc dicimus posse id facere miraculose per illam excitationem, et hanc vocamus determinationem. Verumtamen, sicut ibi diximus non posse voluntatem hominis necessitari per solam voluntatem extrinsecam Dei, nisi intrinseca actio vel mutatio in ipsa voluntate sit major, vel alterius rationis, ita nunc dicimus per excitationem non posse voluntatem hominis necessitari, nisi elevetur ad novum modum agendi; alioqui vel non fiet talis determinatio in voluntate, vel non fiet per excitationem, sed ad præsentiam ejus Deus per seipsam, vel per aliud principium illam faciet.

16. *Impugnatur ratio dubitandi.* — Ad rationem dubitandi negatur consequentia: nam, esto verum sit vocationem ipsam seu excitationem esse efficacem, nihilominus, quando talis est, non habet illam efficaciam ex intrinseca determinatione, quam ad efficiendum consensum habeat, sed solum quia ita datur ut infallibiliter illum efficiat, quæ infallibilitas non oritur ex sola natura, seu entitate talis actionis; quomodo autem illi conveniat, discursu sequentium capitum explicandum est, nam hoc in omni sententia locum habet, ut videbimus.

CAPUT VIII.

UTRUM EXCITANS GRATIA PER SEIPSAM ET NATURA SUA DETERMINET SALTEM MORALITER VOLUNTATEM, IDEOQUE TALIS EFFICACIA AUXILII EXCITANTIS AD ACTUS LIBEROS ET SANCTOS VOLUNTATIS NECESSARIA SIT.

1. *Affirmatur quæstio.* — Partem affirmantem hujus quæstionis insinuant multi ex auctoribus allegandis capite sequenti, expresseque tradunt illam Alvar., disput. 3, conclus. 4, et Ledesma, dicta quæst., art. 1, conclus. 4; et generaliter eam attribuit suis Theologis; signatim vero allegat Joannem Vincentinum, qui putat illam certissimam in Theologia. Tribuit etiam Driedoni, lib. de Concord., part. 2, c. 3, sed ibi nihil de prædeterminatione morali docet, sed solum de necessitate præviæ motio-

nis per gratiam excitantem tractat, quæ longe diversa est, ut infra dicam. Deinde Ledesma, ad suæ sententiæ probationem, imprimis allegat et inducit ea quæ, in principio quæstionis, pro conclusione 3, id est, pro determinatione generatim attulerat; illa enim ait ad minus de morali prædeterminatione convincere. Ibi autem adduxerat locutiones Scripturæ, quibus dicitur Deus vel inclinare corda hominum, vel immutare illa, vel attrahere, vel facere ut velint et faciant, et auferre cor lapideum, et dare cor carneum. Item illa in quibus dicitur Deus causa nostrorum actuum, et incipere ac perficere nostrum velle; nam est causa, inquit, per suum auxilium; ergo illud debet esse prævium, antecedens et efficaciter prædeterminans, etc. Ac denique illa in quibus soli Deo tribuitur salus hominis, ut illud: *Non est volentis*, etc., et ad hunc modum inducit loca similia Patrum et Conciliorum, quæ nunc supervacaneum est referre, quia nec peculiarem vim habent, et in sequentibus repetenda sunt.

2. *Principia notatu digna.* — Postea vero eadem testimonia inducit per rationes theologicas, et obiter ponit duo principia notatu digna, in quibus inductio nititur. Unum est, illa omnia quæ Scriptura docet, non posse fieri per gratiam sufficientem, nam hæc solum dat virtutem et potestatem; quæ autem Scriptura docet, significant actualem efficientiam Dei in nostros actus. Secundum principium est, eum qui habet auxilium sufficiens, non habere actualem inclinationem ad opera supernaturalia, sed tantum habituales, nam illud auxilium habet rationem virtutis et potentiae; Scriptura autem loquitur de inclinatione actuali, dum dicit Deum inclinare cor nostrum, et similia. Reliqua, quæ in discursu octo rationum dicit, nihil habent peculiare de prædeterminatione morali, et ideo illas nunc prætermitto. In altero vero loco, applicat priores rationes, supposito generali fundamento, quod sit necessaria divina prædeterminatio, inferendo illam debere esse necessario moralem. Primo, quia Deus debet præmovere et prædeterminare voluntatem, juxta illius naturam; voluntas autem est moraliter operans, et ideo natura sua postulat moralem inductionem per mentis illustrationes et piæ affectiones, antequam physice prædeterminetur; secundo, et fere in idem redit, quia prædeterminatio physica debet fieri tali modo ut non tollat libertatem; ad hoc autem necesse est ut præcedat prædeterminatio moralis; ergo est æque necessaria. Probatur minor, quia ut

prædeterminatio physica non tollat libertatem, necessarium est ut fiat juxta naturam ipsius voluntatis; hoc autem non haberet nisi præcederet prædeterminatio moralis; ergo. Tertio, voluntas efficit suum actum et physice et moraliter: ergo utroque modo debet prædeterminari a Deo; hoc enim necessarium est ut omnibus modis verum sit Deum operari in nobis opera nostra, et facere ut faciamus illa.

3. *Advertendum circa verba præmovendi et prædeterminandi.* — Priusquam sententiam meam proferam, duo in superioribus animadvertenda in memoriam revocare necesse est. Primo, cavendam esse æquivocam transitionem a verbo *præmovendi* ad verbum *prædeterminandi*, et e converso, ac si essent æquipollentia, cum revera sint longe diversa; nam *præmovere* latius patet quam *prædeterminare*, et prædeterminatio includit præmotionem, et addit aliquid, nimirum quod motio talis sit, ut aliquo modo infallibili inducat voluntatem ad consensum, faciendo illam velle; unde fere ita se habent præmotio et prædeterminatio, sicut gratia prævia sufficiens et efficax; nam sufficiens præmovet, sed non requirit illam connexionem cum effectu; efficax vero et præmovet, et habet illam connexionem cum effectu, et inde dicitur efficax. Unde, si habeat illam connexionem vi sua et in actu primo, dicitur etiam prædeterminare. In præsentem ergo non movetur quæstio de præmotione; plus enim quam certum esse supponimus, et præmotionem gratiæ esse necessariam ad singula opera pietatis, et primum omnium esse necessariam præmotionem moralem, quam facit gratia excitans per se, et per vim supernaturalem sibi connaturalem et innatam, ut latissime in libro secundo et tertio declaratum et probatum est; quod ergo inquiritur, est utrum necessarium sit hanc gratiam excitantem in tali gradu, modo, vel entitate dari, ut non solum præmoveat, sed etiam vi sua intrinseca prædeterminet voluntatem, ita illam præmovendo, ut in actu primo illam prædeterminet, saltem morali modo.

4. *Alterum advertendum circa prædeterminationem.* — Secundo, adverto prædeterminationem moralem duplicem cogitari posse: una est quæ solum dicatur moralis, quia fit per causalitatem, seu motionem moralem, in reliquo vero tam infallibiliter inferat effectum, quam prædeterminatio quæ physica dicitur, ita ut omnino repugnet, et contradictionem implicet, poni in voluntate talem motionem mo-

ralem præviæ, et non sequi consensum, seu simul poni motionem illam cum carentia consensu. Altera prædeterminatio dici potest moralis, quia non solum in modo causalitatis, sed etiam in gradu certitudinis (ut sic dicam) quoad obtinendum consensum, moralis dicitur, quia non est tam necessaria vel infallibilis connexio, ut intrinsece repugnet, vel contradictionem implicet, separari talem præmotionem moralem ab effectu, seu cum negatione illius componi, licet moraliter et humano modo procedendo, id non contingat.

5. *Assertio.* — *Probatur primo.* — Dico primo: ex vi gratiæ excitantis quantumcumque abundantis et perfectæ in suo genere, et per se ac ex sola sua virtute et causalitate spectatæ, nunquam potest voluntas ita prædeterminari ad actum consentiendi tali excitationi absolute et simpliciter, ut repugnet illam excitationi resistere. Hanc assertionem posui in libro tertio de Auxiliis, et mihi illam probant omnia adducta in præcedenti capite; nam sive talis prædeterminatio vocetur physica, sive moralis, si absolute et simpliciter talis sit, ut in voluntate non maneat potestas illi resistendi, procedunt omnes rationes ibi adductæ. Primo, quia Concilia sine limitatione docent, posita excitatione, posse hominem dissentire si velit; cui universali definitioni non possumus auctoritate nostra exceptionem vel limitationem addere. Et ad hoc confirmandum valent plurimum quæ de vocatione Pauli disserit Chrysostomus, in tomo tertio Homil. de ferendis reprehensionibus et vocat. Pauli: nam si quæ excitatio posset prædeterminare illo modo voluntatem, maxime certe vocatio Pauli: negat autem Chrysostomus illo in loco voluntatem Pauli fuisse ita determinatam per illam vocationem, ut, illa posita, aliud velle non posset; nam licet non utatur verbo *prædeterminandi*, sed verbo necessitatis aut coactionis, re tamen vera eundem sensum intendit; eo enim tendunt omnia exempla et comparationes, quas adducit in commendationem liberi et plene voluntarii consensu Pauli, et omnia inutilia essent et nullius momenti, nisi in eo sensu loqueretur; quod non latius pondero, ut prolixitatem vitem, maxime cum in sequentibus multa similia expendenda sint: rogo autem studiosum Theologum ut locum illum attente legat et consideret.

6. *Probatur secundo.* — Secundo, probatur assertio discursu facto in præcedenti capite, quia in motu excitante per se spectato nihil

est habens vim determinandi voluntatem simpliciter, et per causalitatem physicam; ergo multo minus per causalitatem moralem, quæ ex suo genere minus potens est ad prædeterminandam in actu primo voluntatem; quia tota motio gratiæ excitantis est, vel ex parte objecti, vel per quamdam sympathiam potentialium animæ, vel actuum ejus: in neutro autem horum invenitur infallibilis connexio ex vi talium actuum, ut ibi probatum est. Unde, si aliquando, vel intellectus determinat voluntatem, vel unus actus voluntatis determinat ad alium, non est propter solam moralem, sed propter physicam causalitatem, vel quia voluntas ex se habet talem determinationem ad tale objectum, si sufficienter proponatur. Id videre licet in visione divinæ essentialis, quæ determinat voluntatem ad exercitium amoris Dei. Nam, licet verius sit, nec visionem, nec essentialitatem visam, ut objectum amabile est, per physicam efficientiam movere voluntatem, nihilominus vel ipsa motio objectiva et finalis, quatenus in suo genere causalitas physica est, habet illam vim propter eminentiam objecti, vel (quod facilius intelligitur) ipsa voluntas natura sua est determinata ad summum bonum, et per charitatis habitum cum eadem determinatione elevatur, et ideo talis prædeterminatio physica est; sicut etiam prædeterminatio quoad specificationem ad beatitudinem in communi, sufficienter cogitatum ac propositum, physica est; provenit enim ab intrinseco ex ipsa natura voluntatis. At vero, quando voluntas per actum intentionis absolutæ finis determinatur simpliciter ad electionem mediæ necessarii, illa etiam prædeterminatio alia ratione physica est, quia inter illos actus est connexio omnino necessaria, et, ut probabilius creditur, fundata in physica efficientia actus intentionis circa actum electionis, quæ efficientia ibi est determinata ad unum ex natura talis actus, et fortasse etiam ex natura ipsius potentiæ, quæ ab intrinseco determinatur ad volendum objectum quod sub ratione boni necessarii proponitur: tale autem representatur unicum medium, supposita absoluta finis intentione. Itaque, in voluntate hominis nunquam potest esse ex vi objecti, vel prævii actus aut excitationis, absoluta prædeterminatio moralis in eo gradu infallibilis ac necessariæ connexionis, quin ibi intercedat prædeterminatio physica: ostensum est autem per solam excitantem gratiam non posse voluntatem physice prædeterminari; ergo nec moraliter potest in eo gradu.

7. *Instatur.* — Atque hinc urget etiam in præsentia altera ratio tacta in capite præcedenti, quia tanta prædeterminatio moralis necessario includeret necessitatem simpliciter libertati actus contrariam; sed, non obstante quacumque gratia excitante, actus voluntatis est liber, ut supponimus; ergo per talem gratiam non prædeterminatur moraliter voluntas in illo gradu. Major patet ex declaratione facta, quia ubicumque intercedit tanta determinatio, provenit ab intrinseco ex interna determinatione potentiæ ad tale objectum: determinatio autem ab intrinseco inducit necessitatem contrariam libertati sine controversia, et ita est in amore Dei clare visi, et suo modo in affectu beatitudinis in communi, et in consecutione electionis necessariæ ex efficaci finis intentione. Nam, si quæ manet sibi libertas, est in perseverando in intentione; at si intentio esset omnino præveniens ac necessaria, in determinatione ad electionem absoluta necessitas esset, quia est ab intrinseco, ut declaravi. Cum ergo gratia excitans, quæ datur viatoribus, non ponat aliquid in homine, quod ab intrinseco determinet quoad exercitium voluntatem ejus, quia nec ex parte objecti ita determinat, nec ex connexione actuum, ut satis declaravi, sequitur, ex se non posse simpliciter, et cum connexione omnino infallibili, ex vi talis motionis, prædeterminare voluntatem.

8. *Effugium.* — *Respondetur.* — Dices assertionem hanc repugnare dictis in cap. 6: ibi enim diximus excitationem posse esse auxilium præveniens simpliciter efficax: auxilium autem simpliciter efficax effectum infert omnino infallibiliter; quomodo ergo nunc negamus posse solam gratiam excitantem hoc modo prædeterminare voluntatem? Item aliqua gratia excitans dari potest ex voluntate Dei absoluta, intendentis hominis conversionem; ergo talis excitatio prædeterminabit simpliciter voluntatem, saltem moraliter, quia, ut dicit D. Thomas, si de intentione Dei moventis est ut homo convertatur, infallibiliter convertetur; nam voluntati ejus quis resistet? ergo. Respondeo ad priorem partem, dictum quidem esse aliquam excitationem seu vocationem esse efficacem; non est tamen dictum aliquam vocationem esse prædeterminantem; hæc enim duo sunt diversa, ut capite præcedenti dixi, et in sequentibus late ostendam; et ideo potest esse vocatio efficax, et non prædeterminans simpliciter, sive physice, sive moraliter. Item dictum est, capite sexto, vocationem aliquam esse efficacem; sed non est dic-

tum, de se et ex vi suæ entitatis et objecti, et ideo ex hac etiam parte non est præsens doctrina superiori contraria. Unde ad alteram partem respondetur imprimis, etiamsi consequentia admittatur, non esse contra dicta, quia in eo casu solum sequitur excitantem gratiam prædeterminare voluntatem, ex adjuncta voluntate Dei, non ex vi solius excitationis, ac subinde tunc Deum per talem voluntatem aliquid activitatis adjungere ultra totam causalitatem connaturalem tali gratiæ excitanti, sive utendo illa, ut instrumento, sive ad præsentiam ejus immediate operando efficacius, quod sive sit verum, sive falsum, non est contra assertionem. Secundo vero respondetur negando consequentiam, quia, ut dixi, aliud est infallibiliter facere, aliud prædeterminare, et ex illa voluntate, seu intentione Dei absoluta, solum sequitur quod illa excitatio infallibiliter consequetur effectum, non vero quod prædeterminet, quia primum sufficit ut voluntati Dei nemo resistat, quia Deus non intendit per illam voluntatem suam, ut nostra voluntas prædeterminetur, sed ut convertatur.

9. *Altera assertio.* — Dico secundo: excitans gratia talis ac tanta esse potest, ut ex se prædeterminet moraliter voluntatem, cum morali scilicet connexione, et consecutione, quæ, licet physice deficere possit, vel nunquam vel rarissime deficit. Hanc assertionem damus priori sententiæ, et illam posui in libro tertio de Auxiliis, capite decimo, probarique potest facile, quia quidquid non repugnat fieri per excitantem gratiam, potest Deus facere per illam, dando nimirum excitationem accommodatam ex natura sua ad talem effectum; sed voluntatem nostram prædeterminari moraliter per excitationem præviam, non involvit ullam repugnantiam; ergo melius et maxime poterit id fieri per excitationes gratiæ. Minor probatur, quia id non repugnat libertati actus; ergo non est unde alias repugnet: neque enim aliud principium repugnantiam in hac materia excogitatum, neque arbitror excogitari posse. Antecedens probatur, quia hæc moralis prædeterminatio, ut a nobis explicata est, nec inducit absolutam necessitatem, nec tollit potentiam resistendi, etiam in sensu composito, id est, potentiam componendi dissensum cum tali excitatione; ergo non repugnat libertati. Secundo, probatur eadem minor inductione, quia multa facimus et omittimus libere, ad quæ sumus illo morali modo prædeterminati: nam in his ad quæ magna consuetudine vel inclinatione ducimur, quan-

do occasio magna offertur, et attente cogitatur, et sine peculiari difficultate proponitur, quamdam moralem prædeterminationem experimur, et ita illa operamur, ut vix possimus, moraliter loquendo, aliud facere; et ita communiter de his dicimus non posse nos aliud facere, quæ impotentia interdum ita est, ut vix aliud unquam velimus, quamvis revera possimus. Item hoc probant exempla mirabilium conversionum, quas Deus per suam gratiam facit, ex magnis peccatoribus magnos Sanctos subito efficiendo: nam, ut id faciat fortiter et suaviter, prout decet providentiam Dei, per hujusmodi fortem excitationem fieri dubium non est, prout de vocatione Pauli sentit Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 5.

10. *Responsio.* — Hanc etiam partem confirmavi in dicto libro de Auxiliis, exemplo gravissimæ tentationis hominis, quæ moraliter determinat liberum arbitrium si gratia desit; quod exemplum aliqui reprehendunt, illudque adeo sinistre interpretati sunt, ut mihi objecerint quod asseruerim non habere Deum majorem virtutem ad prædeterminandam voluntatem ad bonum, quam dæmonem ad malum. Respondemus autem imprimis exemplum illud et modum explicandi hanc causalitatem moralem, sumptum esse a nobis ex Patribus: primum ex Augustino, libr. de Grat. et liber. arbitr., cap. 21, cujus hæc sunt verba ultima: *Si tamen potens est (scilicet Deus), sive per Angelos bonos, vel malos, sive quocumque alio modo, operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adamo, aut crevit per propriam voluntatem, quid mirum est si per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut corda ipsa essent ex malis bona.* Ecce utitur Augustinus eodem argumentandi modo. Et ut argumentum sit efficax, necesse est ut sit univocus sermo (ut sic dicam) de modo operandi in cordibus hominum, ut de genere moralis illatio fiat, quia per Angelos bonos vel malos non aliter voluntas nostra movetur.

11. Secundo, usus est illa comparatione Hieronymus, lib. 2 contr. Jovinianum, non longe a principio, eumque refert D. Thomas 1. 2, quæst. 80, artic. 1, argument. 2, et quæst. 3 de Malo, artic. 3, argum. 14; verba Hieronymi sunt: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioqui ubi necessitas est, nec corona,*